



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

1. V. Christus verè resurrexerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

fides redemptionis nostræ, ut per eam iustitiam assequi possimus, ut postea Chrysostomus fusius declarat.

Rom. I.

Potest præterea hæc D. Thomæ ratio confirmari ex loco Pauli ad Roman. 1. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute ex resurrectione mortuorum, iuxta electionem, & expositionem Græcorum, Qui declaratus est, quam in priori tom. dis. 50. sect. 2. satis probabilem esse ostendimus. In resurrectione enim Christi manifestata est vera eius diuinitas, atque ita plurimum fides eius confirmata est. Et ob hanc causam speciale signum suæ diuinitatis, & veritatis obtulit Christus Iudæis dicens. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ioann. 2. loquens de templo corporis sui, ut Euangelista explicuit, & Matth. 12. Iudæis*

Ioan. I.
Matth. 12.

petentibus signum, ipse respondit. *Generatio praua, & adultera signum querit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ propheta. Fuit autem resurrectio signum diuinitatis: tum quia Christus seipsum suscitauit, iuxta illud. Et in tribus diebus excitabo illud. Tum etiā, quia ipse Christus, sicut dicebat se esse Deum, ita prædixerat se resurrecturum, unde sua resurrectione in*

Pet. Chrys.

utroq; veracem se esse probauit. Item quia (ut eleganter dixit Petrus Chrysolog. serm. 75.) *qui ante suam mortem prædixerat suam resurrectionem, vti que sicut scire potuit, potuit & cauere: sed quia vincere potuit, declinare contempsit, quia resurrectionis gloria sepeliuit mortis iniuriam. Et hinc etiam declaratur optimè D. Thomæ ratio. Nam si Christus mortuus in cruce, non resurrexisset, erubescerent homines credere in hominem crucifixum, qui Iudæis est scandalum, gentibus autem stultitia. Resurrectio igitur & pudorem, &*

1. Cor. I.

metum credentibus abstulit, qui resurrectionis gloria sepeliuit mortis iniuriam. Denique, euentus ipse veritatem huius rationis probauit. Cum enim vsque ad passionem multa miracula Christus fecisset in confirmationem veritatis, quam prædicabat, pauci crediderunt: postea vero prædicantibus discipulis resurrectionem eius, vno die multa millia hominū crediderunt in eum. Fuit ergo resurrectio efficacissimum medium ad fidem conferuandam, & persuadendam. Et ita Athanasius lib. de incarnat. Verb. eiusque corporis aduent. ex his, quæ fides Christi in mundo operatur, ex gentium conuersione, Dæmonum expulsionem, Christum resurrexisse latissimè confirmat.

Athanas.

Resurrectio
Christi spei
nostræ nutri-
mentum.
Leo Papa.
Greg. Pap.
D. Thom.
Iob. 19.
Ephes. 2.

Tertia ratio sumitur ex subleuatione spei nostræ. Quam optimè declarat Leo, serm. primo de resurrectione c. 4. dicens. *Et hoc inuitum factum nobis est resurrectionis in Christo, ex quo in eo, qui pro omnibus mortuus est, totius spei nostræ forma præcessit, &c. & sermone secundo. Ita dubitandum non est de consortio gloriæ, sicut dubitandum non est de communionem naturæ. Quod in sequentibus latè prosequitur: ac in fine tandem confirmat ex illo ad Philippenf. 3. Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformauit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Rursus Gregor. 14. Moral. capite 27. tractans eum locum, quem D. Thomas hic citat. Scio, quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, ait. Sui capitis gloriam sequuntur membra. Redemptor ergo noster suscepit mortem, ne mori timeremus: ostendit resurrectionem, ut nos resurgere posse confidamus. Vnde & eandem mortem non plus quam triduanam esse voluit, ne si in illo amplius differretur, in nobis omni modo desperaretur. Et hoc est, quod Paul. dixit ad Ephes. secundo. Conuersiuitur, & consedere fecit in caelestibus in Christo Iesu. Nam cum ipse in te vere suscitatus est, nos cum illo in spe conuiximus. Vnde Greg. Nazian. orat. 41. Hæc (inquit) cum Christo in cruce agebar: hodie simul glorificor. Hæc commoriebar, hodie simul viuificor, Hæc conspellebar, hodie simul resurgo, & oratione 42. in principio. Hodie alius mundo tam visibili, quam inuisibili, Christus ex mortuis, simul surgite. Christus ad se se, redite. Christus ex sepulcro, peccati vinculis soluamini. Por-*

Greg. Naz.

ta inferi aperiuntur, & mors opprimitur, & vetus Adam deponitur, & nouus perficitur, si qua noua in Christo creatura renouamini. In quibus omnibus alludit Greg. ad lo-

Colos. 3.

cum Pauli ad Colossen. 2. Si conuixisti cum Christo, quæ sursum sunt sapite, &c. Nec dissimile est, quod inquit Athanas. sermone de passione, & cruce Domini. Necessarium est surgere saluatorem, conuixere quoque cum eo & ipsum Adamum, & omnes ex Adamo oriundos: & sicut moriente Adam, manebamus nos per eum mortui, ita quoque surgente Dominico corpore, necessum erat omnes cum eo con-

1. Cor. 15;

surgere. Hic enim intellectus est Pauli ad Corinthios scribentis. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Et in huius, ac præcedentis rationis confirmationem multa peti ex eodem Athanas. lib. de incarnat. Verbi, & corporali eius aduentu, & Pe-

Pet. Chrys.
August.

tro Chrysologo serm. septuagesimo quarto, & septuagesimo quinto, August. serm. 119. de temp. Vbi inter alia ait. In passione quid agit? Docuit: quid tolleremus in resurrectione, quid egis? Docuit quid speremus. Hic opus, ibi merces: Opus in passione, merces in resurrectione.

Atque ex his, quæ dicta sunt exposita etiam est quinta ratio D. Thomæ, quæ fere cum duabus præcedentibus coincidit, scilicet Christum resurrexisse propter nostræ salutis complementum, ut non tantum nos malis liberaret, sed etiam bonis cumulareret. Nam licet vtrumque nobis moriendo meruerit, viā tamen ad id obtinendum resurgendo aperuit, exemplarque ac terminum nostræ exaltationis ostendit. Quarta vero ratio moralis est, & non indiget expositione, nec solutione argumentorum, quæ facilissima sunt.

DISPUTATIO XLV.

In duas Sectiones distributa.

De Christi resurrectione, & causis eius.



X præcedenti disputatione probatum supponimus, resurrectionem Christi fuisse possibilem, & ideo solum superest inquirendum, an facta sit. Quid verò sit, non indiget noua disputatione. Quia quoad hoc non est alia ratio de Christi resurrectione, & de quauis alia, quod attinet ad vnionem animæ cum corpore sufficienter disposito. Quod verò pertinet ad vnionem hypostaticam, si aliqua in resurrectione reparata est: satis etiam est in superioribus dictum, addèdum verò aliquid erit de proprijs causis huius resurrectionis.

SECTIO I.

Vtrum Christus verè resurrexerit.

Hæretici, qui negarunt Christum esse verum hominem, aut assumpsisse verum corpus humanum, ac mortale, aut verè mortuum fuisse, necesse est, ut veram etiam resurrectionem negauerint. Præter hos autem refert Epiphanius. hæres. 28. Cherinthum asseruisse, Christum passum esse, & crucifixum, nondum vero resurrexisse, resurrectorum tamen postea in generali resurrectione. Aliter vero refert errorem Cherinthi Irenæus libr. 1. contra hæreses, cap. 24. Vbi dicit Cherinthum distinxisse Christum à Iesu, & asseruisse passionis tempore Christum à Iesu recessisse, & neque mortem obiisse, neque resurrexisse: Iesum verò, & mortuum fuisse, & resurrexisse. Augustin. verò lib. de hæresib. 8. expresse dicit Cherinthum negasse Iesum resurrexisse. Porro Tertullian. lib. de carne Christi c. 24. tacitis nominibus scribit, quosdam asseruisse, adhuc est animā Christi in cælo sine carne, quos resurrectionem negasse necesse est. Ac præterea addit, alios dixisse existere carnem

Epiphanius

Irenæus

Augustinus
Tertullianus

Philast.

Psal. 18.

Philast.

August.

2 Cor. 5.

Christus re-
surrexit à
mortuis.
Sym. b. Nic.

1. Cor. 15.

Luc. 24.

Genes. 49.
Deut. 18.Genes. 39.
Proper.
Genes. 22.

carnem Christi in celo vacuum sensu. Hos errores attribuit Philastrius Pasionistis, Seleucianis, & Herodianis, qui dixerunt solam Christi animam ascendisse in celos: reliquisse verò carnem suam in sole, iuxta illud, *In sole posui tabernaculum suum*. Potest præterea hic annexi error Apellis qui (vt Philastrius refert) affirmabat Christum resurrexisse, non tamen in sua, ac vera carne. Is enim, quamvis verbis fateri videretur, re tamen ipsa resurrectionem negabat. Vnde Augustinus hæresi. 23. absolute refert istum dixisse, Christum sine carne resurgentem in celum ascendisse. Solent iheretici in confirmationem sui erroris adducere illud 2. ad Corinth. 5. *Etsi cognouimus Christum secundum carnem, sed iam non nouimus*.

Dicendum est, verè, ac proprie Christum à mortuis resurrexisse. Conclusio est de fide, & inter articulos fidei ponitur in omnibus symbolis, & in Niceno additur. *Et resurrexit tertia die secundum scripturas*. Qui modus dicendi sumptus est ex Paul. 1. ad Corinth. 15. dicente. *Tradidi enim vobis in primis, quod & accepistis, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum scripturas*. Nam quia hoc mysterium difficile hominibus apparebat, & eius fides firma, & stabilis erat illis maximè necessaria, ideo Apostolus, & Ecclesia scripturas proponunt, quæ verbum Dei continent, vt sciamus non humanis testimonijs: sed Dei autoritate hanc fidem niti. Significant etiam hoc mysterium fuisse in scripturis prædictum, & ita fuisse impletum, sicut fuit prænuntiatum. Nam hoc plurimum valet ad illius fidem conciliandam. Propter quod Christus, qui præcipuus testis fuit sue resurrectionis, quamvis eius autoritas sufficientissima esse posset, ad illud confirmandum, vsus nihilominus est testimonio scripturarum, vt patet Lucæ 24. *Vbi incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant*. Et infra dixit ad eos. *Hæc sunt verba, quæ loquutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me*. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas, & dixit eis, quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die.

Dices, quæ sunt hæc scripturarum oracula, in quibus à Moyse, Dauide, & alijs Prophetis Christi resurrectio prædicta fuit? Respondetur, in primis non oportere intelligere, Christum docuisse suam resurrectionem ex libris Moysi, Psalmis, & Prophetis omnibus, sed ex singulis adduxisse, quæ de ipso erant. Nam in libris Moysi non inuenitur expressa Prophetia, quæ ad literam de resurrectione Christi intelligatur. Quamvis valde indicata sit à Iacobo Gen. 49. verbis illis, *Catulus Leonis Iuda, requiescens accubisti vt Leo, quis suscitauit eum?* Quem locum notauit Cyrillus Ierosolym. catech. 14. Adduci etiam possunt verba illa Deuteronom. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabis tibi Dominus Deus*. Et infra: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, & ponam verba mea in ore eius, &c.* In quo testimonio fortasse non sine mysterio bis positum est verbum, *suscitabo*, quamvis non oporteat ad literam de resurrectione intelligi. Mediate etiam (vt ita dicam) potest ex hoc testimonio resurrectio confirmari. Nam in eo præcipimur audire verba huius Prophetæ, vt verba Dei: vnum autem ex verbis eius fuit promissio sue resurrectionis. Deinde in sensu mystico potuit ex libris Moysi Messia resurrectio confirmari. Fuit enim sine dubio multis figuris adumbrata, ac representata, vt in Ioseph, qui post duos annos tertio ineunte è carcere educitur, vt exponit Prosper de Promissionibus & prædictionibus Dei, part. 1. ca. 29. Et in Isaac, quem in fide & spe resurrectionis Abraham immolare non dubitauit, vt Pau-

lus dicit ad Hebræos vndecimo, tamen re ipsa Isaac immolatus non est. Quia resurrectio filio Dei seruata est, vt eodem lib. dicit Prosper cap. 17. Vnde Gregorius Nyssenus eandem figuram eleganter tractans orat. prima de resurrectione in principio. *In oue (inquit) mysterium mortis, in vnicò vero filio vita, quæ morte non perimebatur, demonstratur*. Cyprianus etiam libro secundo aduersus Iudæos, ca. 25. dicit Christi resurrectionem præfiguratam esse à Moyse verbis illis Exod. 19. *Et dixit Dominus ad Moysem, descende, & testificare populo, & sanctifica illos hodie, & cras, lauentque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium, in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe in monte Synai*. Indicans in illa die tertia significatum esse tertium diem resurrectionis Christi, in quo speciali modo Deus ad homines rediit, vt nouum pactum, & legem vniuerso orbi promulgaret.

Ex Psalmis sunt plura, & clariora resurrectionis testimonia. Illud est præcipuum quod ab Apostolo Petro expositum est Act. 2. & à Paulo Act. 13. ex Psalmo 15. *Quoniam non relinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo*. De quo testimonio multa diximus supra tractantes de descensu Christi ad inferos. Præterea de hoc ipso mysterio exponit Paul. Act. 13. verba Psalmi. 2. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te*. Nam de Christi passione præmittitur in eodem Psalmo. *Astiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius: vt Apostoli, & fideles congregati in vnum vnanimiter exposuerunt, Act. 4.* Postea verò de resurrectione subiungitur *Dominus dixit ad me, &c.* & quia tunc data est Christo omnis potestas in celo & in terra, additur. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam*. Nam de eodem Christo antea prædictum erat. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Syon montem sanctum eius, id est, super Ecclesiam, per Sion repretatam, cuius veluti possessione post resurrectionem suam Christus accepit*. Quæ omnia necesse est ad literam de Christo Domino intelligi. Rectè igitur etiam illa verba, *Ego hodie genui te*, de Christo homine intelliguntur. Quod etiam ex verbo illo, *Dominus dixit ad me*, Basilii in scholijs rectè notauit. Quia filius vt Deus non appellaret patrem Dominum, sed vt homo: ergo vt sic dicitur hodie genitus: & non ratione primæ conceptionis ex matre, vt constat ex ipsius Psalmi contextu, ergo ratione resurrectionis, in qua declaratum est, quam fuerint iniquæ, & inanes Iudæorum contra Christum meditationes, & consilia. Merito autem resurrectio generatio appellatur: quia (vt supra dictum est) reuera est generatio quædam, cum sit præexistentis corporis ad vitam reuocatio. Propter quod vocatur Christus primogenitus ex mortuis ad Colos. 1. & resurrectionis tempus vocatur à Christo tempus generationis. Matth. decimonono. Atque ita exposuerunt etiam hunc Psalmum Hilar. & Theophylus Antiochenus ibi, Ambrosius lib. 3. de Sacramentis capit. primo Chrysostomus Act. 13. & Eusebius lib. 6. de demonstratione. c. 2. Solet autem hic locus exponi de generatione æterna filij Dei, vt Paulus significat ad Hebræos, 1. & sæpe Patres, Cyrillus lib. de fide ad Reginas, Athanas. ferm. 3. contra Arianos, & in epist. de Nicena synodo, & Augustinus in enarratione eiusdem Psalmi, & in Enchirid. cap. quadragesimo nono. Alij vero Patres interdum exponunt de temporali generatione ex matre, vt Chrysostomus homil. de fide in Christum tom. 3. & Cyrillus Alexandrinus, lib. 2. de fide ad Reginas, & Gregorius Nyssenus in libro de cognitione Dei, qui refertur primo tomo Bibliothecæ. Hæc tamen expositiones ita admitti possunt, vt prior, quæ maxime literalis videtur, non reiciatur.

Rursus

Rursus in huius mysterij confirmationem adduci potest illud Psal. 3. *Ego dormivi, & somnum cepi, & exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me.* Hæc enim verba solet Ecclesia vsurpare in die resurrectionis Domini. Et ita exponunt Augustinus ibi, Iustinus dialogo contra Triphonem, & Euseb. lib. 13. de præparat. Evangelica capit. 7. quamvis hic sensus allegoricus videatur. Nam ad litteram sermo est de David, in cuius persona figuratus est Christus. Vltimo ad hoc etiam merito adduci potest Psalm. 56. qui totus esse videtur de Christi passione, & resurrectione saltem in sensu mystico ab Spiritu Sancto intento. Vnde Christo accommodantur illa verba, *Exurge gloria mea, &c. & illa, Misit de celo, & liberauit me, & dedit in opprobrium conculcantes me.* Et ita exponunt ibi late Augustinus, Hilarius & alij. Addit etiam Ignatius epist. 5. verba illa Psal. 40. *Tu autem Domine, misereri mei & resuscita me, & retribuam eis:* & illa Psalm. 73. *Exurge Deus, iudica causam tuam.* Quibus multa familia adduci possunt.

Tertio in Prophetis plures sunt huius mysterij prædictiones. Et in primis Paulus Actorum 13. de hoc mysterio explicat locum Isaia 55. *Feriam vobis, cum pactum sempiternum misericordias David fideles.* Quod Paulus iuxta septuaginta citat, *Sancta fidelia David.* Sed difficile est intellectu, quomodo possint hæc verba ad Christi resurrectionem aptari. Leo Castrensis in Isaia ut hoc exponat, dicit in primis, Paulum accipere plurale pro singulari numero, id est, *Sanctum David fidele:* & David ibi non significare propriè Regem David: sed Christum ex Davide ortum, & in eo representatum: atque ita Sanctum David significare corpus Domini: fidele autem idem esse, quod stabile, incorruptibile, & æternum. Cõtra quam expositionem nihil oportet obijcere, quoniam ipsa per sese statim displicet, cum omnia verba ad improprias significationes detorqueat, & plura eorum sine vlllo fundamento. Præterea, quia si hæc verba in Isaia considerentur, nec ipsi, nec contextui potest accommodari talis expositio. Prius ergo supponenda est literalis intelligentia illorum verborum apud Isaia. Est enim ibi expressa promissio noui testamenti, in quo implende erant omnes promissiones factæ David, siue per David intelligamus Regem David, cui præcipue facta est promissio Messia, & æterni regni eius, siue intelligamus Christum, ut intelligit Hieronymus. Tum quia verba sequentia hoc requirunt, *Eccle testem populi dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus:* tum etiam quia hæc phrasis est vñtata in scriptura Psalm. 88. *Inueni David seruum meum oleo sancto meo unxi eum.* De quo postea subditur, *& ego primogenitum ponam illum, &c.* quod propriè in Christum conuenit. De quo etiam dicitur Ezechiel. 34. *Suscitabo vobis pastorem vnum seruum meum David. Sancta ergo fidelia David* appellantur ab Isaia sancta & diuinæ promissiones Christo, seu de Christo factæ, & eadem dicuntur fideles misericordias, iuxta vulgatam lectionem Isaia: Paulus ergo ab hoc literalis sensu non recedit: neque intendit dicere in illis verbis, *Dabo vobis sancta David fidelia,* in particulari esse promissam resurrectionem, aut corporis Christi incorruptionem (hoc enim nec Isaia intendit, nec habet fundamentum, ut dixi) sed, cum dixisset, Christum suscitatum fuisse à Patre, iuxta illud, *Ego hodie genui te,* subdit, *Quod autem suscitauit eum à mortuiam non reuersurum in corruptionem; ita dixit, &c.* id est, ita ex scripturis colligitur, quia sanctæ promissiones à Deo factæ, in Christo erant implendæ. Vnum autem ex illis promissis fuit. *Non dabo Sanctum tuum videre corruptionem.* Itaque non affert illa verba Isaia, ut in generali assumat promissiones de Christo factas fuisse fideles, & suum exitum habituras. Cui expositioni adiungi etiam potest, cum Isaia

Fr. Suarez. tom. 2.

A inquit, *Misericordias David fideles,* alludere ad promissiones factas Psalmo. 88. qui incipit, *Misericordias Domini in æternum cantabo,* ut Hieronymus, & alij interpretes adnotarunt, tum propter verborum similitudinem: utrobique enim fit mentio diuini pacti, misericordias, ac fidelitatis, tum etiam quia in illo continentur præcipue de Messia promissiones. *D. Iphosus testamentum electi mei: Iuravi David seruo meo. Vique in æternum præparabo semen tuum, &c.* In illis autem promissionibus, licet non expresse, implicite tamen continetur resurrectionis promissio. Nam dicitur Christus duraturus in æternum, & thronus eius, *si ui dies celi.* Paulus ergo, ut probet resurrectionem, adducit locum Isaia, ex quo generaliter habetur, has promissiones fuisse implendas, inter quas (ut dixi) resurrectio continebatur: tamen, quia in hoc loco solum continebatur implicite, addit Paulus aliud testimonium, in quo specialis & propria promissio resurrectionis Christi continetur.

Est aliud testimonium Isaia cap. 25. quod ad hanc veritatem firmandum afferri potest, ubi de Christo dicitur, *Præcipit mors in sempiternum.* Ad quem locum alluisse videtur Paulus 1. ad Corinth. 15. cum dixit scriptum esse, *Ab sorpta est mors in victoria.* Nam (ut Diuus Thomas ibi notauit) testimonium illud secundum ea verba non inuenitur in veteri testamento, sed ex hoc loco videtur desumptum. Nam sensus idem est. Absorbere enim mortem idem est, quod eam destruere, & profligare: hoc autem ipsum est, illam præcipitare: & in Hebræo ad litteram est verbum *absorbendi*, pro quo Septuaginta posuerunt verbum *deuorandi*. Obseruandum autem est in Hebræo non legi passiuè, *Ab sorpta est*, sed actiuè *absorpsit*, seu *deuorauit* (ut Septuaginta transtulerunt) sed vel actiuum positum est pro passiuo (quod est frequens apud Hebræos) vel non de omnium hominum morte, sed de singulari morte Christi intelligendus est hic locus. Vnde Septuaginta non simpliciter, sed cum articulo dixerunt, *Deuorauit illa mors præualens*, quia mors Christi mortem omnium absorpsit. Ex quo sensu rectè etiam sumi potuit alia propositio passiuæ, *Ab sorpta est mors in victoria.* Nam sensus idem est. Cum quo etiam coincidit illud Osee 13. *O mors ero mors tua.* Ex hoc ergo loco colligunt Patres Christi resurrectionem: quia cum ipse mortem destruxerit, atque deleuerit, non potuit ab ea absorberi, aut detineri: ubi ergo prædicta est victoria Christi aduersus mortem, satis etiam eius est prædicta resurrectio. Vnde Eusebius libro quarto de Demonstrat. capit. 12. postquam dixerat Christum sua morte mortem fugasse, subdit, *Hac sane ratione ipsius etiam corpus mortuum excitatum est, & multa corpora, quæ dormierant surrexerunt, ut merito ex hoc in sacris literis dictum sit; Absorpsit mors in victoria: & Cyrillus super Isaia, exponens illa verba, Mors (inquit) præualuit contra primum parentem, & contra omnem sobolem, at in Christo vires amisit. Tertia enim die reuixit calcata morte, & factus est nobis resurrectio, abstulit lamenta, & lachrymas, abstulit opprobrium peccati. Et eundem sensum indicat Athanas. de cruce & passionis Domini, ubi cum dixisset, Dominum non imbecillitate naturæ mortuum esse: sed quod mortem ad cadem, necemque persecutus sit, subdit, *Non enim morte superari potuit, sed potius aculeum suum amisit: & infra indicans locum Isaia, in deglutitione mors fuit, postquam inualuerat.**

Dices. Quamuis his testimoniis rectè probetur, Christum post mortem suam aliquando resurrexurum, non tamen probari iam resurrexisse. Respondetur primum in multis ex prædictis locis satis doceri Christi resurrectionem futuram fuisse paulo post mortem eius, ante prædicationem Evangelij, & conuersionem gentium, ut patet tum illis verbis Psalm. 15. *Non derelinques animam meam in inferno;* Psalm. 32. *Non es da-*

Psal. 88.

Hieron.

1. Corint. 15.

D. Thom.

Mors in morte Christi absorpta quomodo.

Osee 13.

Euseb.

Cyrill.

Athana.

Obiectio.

Responsio.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psalm. 32.

Psal. 1. nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Item ex alio Psalmo. Ego hodie genui te. Postula a me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terre. Vbi clare significatur, Ecclesie propagationem futuram post Christi resurrectionem. Quod etiam significatum est Michæ 7. vbi in sensu allegorico Christus ad mortem, vel ad synagogam loquitur. Non lateris inimica mea super me: quia cecidi, consergam. Et infra. Et aspicias inimica mea, & operietur confusione, & tamen paulo post subditur, Dies, vi adfuerint materia tua. In die illa longe fiet lex, & c. id est, ab illo die, quo ego consergam, reedificabitur Ecclesia, & materia eius, quæ antea fuerat diruta, & cessabit lex vetus, &c. Et idem insinuat in prior loco Isaia. Nam statim post illa verba, Misericordias Domini fideles, subditur. Ecce testem populus dedit, ducem & præceptorem gentibus. Rursus in illo loco Osee 13. O mors, ero mors tua, statim subditur. Mors tua ero inferni, ut significetur, vtrumque simul fuisse futurum, scilicet, & mortem destruere per resurrectionem, & infernum mordere educendo Sanctorum animas. Nam licet verum sit, perfectam mortis victoriam non consummari quo ad effectum, vsque ad generalem resurrectionem (ut Paulus dixit 1. ad Cor. 15.) tamen in Christi resurrectione demonstrata, & inchoata est, & in virtute quodammodo consummata quatenus omnes in Christo resurreximus ut idem Paulus ait, ad Eph. 2.

Et ad eundem modum explicandus est alter locus Isaia supra expositus: quibus adiungi potest testimonium Sophoniz 3. Expecta me dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum. Quia iudicium meum, ut congregem gentes, & colligam regna, &c. Quo testimonio vtitur Eusebius lib. secundo de Demonstr. c. decimo septimo, & Augustinus decimo octauo de Ciuitat. cap. trigesimo tertio: & ex eo probat Christum resurrexisse, & postea gentes ad se vocasse. Est etiam optimus locus Iob cap. 19. Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Vbi (ut recte exponit Grego lib. 14. c. 26.) Iob fide resurrectionis Christi sperabat Iob suam resurrectionem: tamen (ut ex verbis eius constat) suam sperabat in nouissimo die, Christi autem resurrectionem longè antea factum iri credebatur. Denique præter hæc sunt alia testimonia in Prophetis, in quibus proprius etiam dies resurrectionis Christi indicatur, ut Osee 6. & Ionæ 2. de quibus in sequenti disputatione commodius dicemus.

Vltimo afferri possent testimonia noui testamenti. Sed hæc in superioribus tacta sunt, & tam sunt frequentia, ac euidentia, ut superuacaneum sit in eis enarrandis immorari. Solum desiderari hoc loco posset expositio illius testimonij Acto. 1. vbi dicitur Christus ad comprobendam suam resurrectionem præbuisse seu ostendisse se discipulis suis in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis. Oportet enim exponere quæ fuerint hæc argumenta, quibus Christus probauit se post mortem iterum viuere, & quam fuerint valida, & efficacia. Sed quia Diuus Thomas questione 55. artic. quinto, & sexto, hoc explicat ideo, si quid addendum occurrerit, in commentarijs illorum articulorum dicetur. Rationes autem, ob quas Christus ante generalem resurrectionem voluit resurgere, tractatæ sunt in commentario primi articuli, & plura dicemus Sectione sequenti. Statim verò occurrebatur hæc questio, an Christus fuerit primus resurgens: eam vero tractat D. Thomas artic. 3. in cuius commentario illam explanabimus.

Ex hac fidei veritate sequitur primo, Christum dominum resurrexisse in vero corpore humano, id est verè conitante ex hac materia rerum generalium, & corruptibilem, disposita, & organizata eo modo, quo forma, ac natura humana requirit. Et hoc voluit Christus probare, ac persuadere discipu-

lis quando eis dixit, *Palpate, & videte, quia spiritus* Luc. 24. *carnem, & ossa non habet sicut me videtis habere.* Nam Leo Pap. ser. 1. de resurr. notauit, ut resurrectionis veritas multis documentis manifesta fieret, apparere voluit Christus discipulis, non solum loquens cum eis, sed habitans, atq. conuiscens, & pertractari se diligenti, curiosq. contactu ab eis, quos dubitatio perfringebat, admissens. Quod latius exposuit D. Thomas infra q. 55. art. 15. & 6.

Secundo sequitur resurrexisse Christum in eodem numero corpore, quod mortuum in cruce reliquit. Ratio huius, & superioris confectarij est: quia hæc sunt necessaria ad veram resurrectionem (ut supra ostensum est) at Christus vere resurrexit. Solum est obseruandum, cum in tempore vitæ Christi domini magna multitudo materiz successiue fuerit per continuam nutritionem acquisita, & adiuncta corpori Christi, heri potuisse salua veritate resurrectionis, ut ex quacumq. parte illius materiz sufficienter conficeretur corpus, in quo Christus esset resurrecturus, ut ex supra dictis de resurrectione in communi constare potest: tamen ad perfectiorem vnitate modum pertinuit, ut idem corpus constans ex eadem omnino materia, ex qua tempore mortis constabat, resurgeret. Tum quia hoc modo perfectissimè, & omni ratione resurrexit idem omnino quod ceciderat. Tum etiam quia hoc erat necessarium ad veritatem resurrectionis demonstrandam. Nam si Christus assumpsisset corpus ex alia materia compactum, etiam si esset illa, quæ ex eodè corpore Christi discursu vitæ resoluta fuerat, difficilius crederetur verè resurrexisse. Eratq. hoc quodammodo debitum illi sanctissimo corpori, ut licet fuerat participes crucis, & ignominie, ita etiam esset confors gloriæ & æternæ vitæ. Propter quod de illo prædictum erat, Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Ex quo loco, & ex tota historia Evangelica certum omnino est, idem numero corpus, quod in cruce pepedit, ex eademq. materia constans, resurrexisse. Et hæc identitatem demonstrare voluit Christus, cum dixit Thomæ, *Infer digrum tuum huc, &c.* Quem locum tractans Leo Pap. ser. 1. de Resurr. inquit. Ideo clausis ad discipulos ostijs introibat, & statim suo dabat spiritum sanctum, & dato intelligentie lumine sanctarum scripturarum occulta pandebat, & rursus idem vultus lateris, fixuras clauorum, & omnia recentissima passionis signa monstrabat, ut agnosceretur in eo proprietates diuine, humanæq. nature indidua permanere. De qua re dicemus plura infra q. 54. art. 4. Cum autem dicimus constare corpus illud ex eadem materia, quæ in eo inuenta est tempore mortis, non excludimus, quin aliquid materiz illi corpori addi potuerit, si fortasse necessaria fuit. Hoc enim identitati corporis non repugnat, & ad perfectam eius integritatem potuit esse necessarium. De qua re dicturi sumus q. 54. art. 2.

Contra hanc veritatem fidei, nihil est, quod obijci possit, præter ea, quæ obijciuntur aduersus resurrectionem in genere, eiusq. possibilitatem, quæ in superioribus tacta sunt, & infra disputado de generali hominum resurrectione (si quid residuum fuerit) addetur. Locus autem ille 2. ad Cor. 5. Et si cognouimus Christum secundum carnem, sed iam non nouimus, tractatus est à nobis superiori tom. disp. 13. Sect. 3. vbi diximus nomine carnis intelligi carnem passibilem, in qua aliquando fuit cognitus Christus: nunc autem, licet eandem carnem habere credatur, non tamen passibilem. Quæ expositio nem præterea, quia ibi adduxi, his verbis confirmat Leo Pap. ser. 1. de resurr. Non dissonat, dilecti, simi, ab hac fide magister gentium Apostolus Paulus, cum dicit: Et si cognouimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Resurrectio enim Domini non finis carnis: sed commutatio fuit, nec virtutis augmento consumpta substantia est, quæ litas transit, non natura defecit. Et merito dicitur caro Christi in eo statu, in quo fuerat nota, nesciri. Quia nihil in ea passibile, nihil reman-

Luc. 24.
Leo Pap.
D. Thom.

Christus in
eod. numero
corpore quod
reliquit in
cruce, resurr.
xit.

Psal. 131

Ioann. 20.
Leo Papa.

Testimonij
Paul. 2.
Cor. 15.
Expositio.
Leo Papa.

fit in ea infirmum, & ipſa ſit per eſſentiam, & non ſit ipſa per gloriam.

SECTIO II.

Quæ fuerint cauſa reſurrectionis Chriſti.

In hac quæſtione breuiter diſcurrendum eſt per omnia cauſarum genera, in quibus aliquid explicandum occurrerit. Nam de materiali, & formali nihil eſt quod dicamus, cum iam poſitum ſit, idē corpus, & maiori ratione eandem animam ad hanc reſurrectionem conueniſſe: dicendum ergo eſt de cauſa finali, & efficiēte, vel morali, ut eſt meritoria vel phyſica principali, & inſtrumentali, ſeu miniſteriali.

Primo igitur ad explicandam finalem cauſam adduci poſſunt rationes omnes, propter quas D. Thomas ſupra probauit, factam eſſe Chriſti reſurrectionem. Nam omnes illæ, atque in vniuerſum utilitates omnes, quas dicunt ſancti proueniſſe nobis ex reſurrectione, finalem cauſam continent reſurrectionis Chriſti, & omnes continentur ſub illo verbo quo dicitur Chriſtus propter nos homines reſurrexiſſe, ſicut & mortuus eſſe. Et huc ſpectat illud Pauli ad Rom. 4. *Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*, & illud Gregorij Nazianzen. orat. 1. *Reſurrectio propter reſurrectionem*, id eſt, reſurrectio Chriſti propter noſtram reſurrectionem. Sed vltra hoc addendum eſt, licet Chriſtus propter nos reſurrexerit: primo tamen, ac per ſe propter ſe, ſuamque gloriam reſurrexiſſe. Itaque ſicut in priori tomo dicebamus, verbum propter redemptionem noſtram carnem aſſumpſiſſe, & nihilominus primo, ac per ſe voluiſſe incarnari propter excellentiam tanti myſterij, & ut ſeſe perfectiſſimo modo creaturis communicaret: ad eundem modum nunc dicimus Chriſti reſurrectionem ita fuiſſe à Deo ad noſtrum commodum ordinatam ut tamen per ſe fuerit intenta propter ipſius Chriſti gloriam, & exaltationem. Primo quidem, quia erat debita Chriſto domino, propter maiestatem Verbi in illo corpore inhabitantis, propter quod dixit Petrus Act. 2. *Impoſſibile fuiſſe Chriſtum teneri ab inferno*, ſeu à morte, ita exponens illud Pſalmi, *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*. Non enim decebat, admirabilem ſanctificationem illius corporis per coniunctionem ineffabilem ad ipſam ſanctitatem per eſſentiam, ut vita, & coniunctione ad ſuam animam diu orbaretur. Vnde Ambroſ. libro de Incarnat. Verbi Dei, & corporali eius aduentu, dicit. *Eum qui Dominici corporis reſurrectionem non credit, non ſatis intelligere vires Verbi, Sapientiaque Dei. Nam ſi verum eſt eum corpus aſſumpſiſſe, eaq; quæ corporis propria ſunt, vindicaſſe, quid de corpore, quo ſe, ſtatueret debuit, aut quo ſine tandem illud conſumere, cum ſemel in corpore viſcera receptus eſſet? Ut enim non moreretur, fieri non poterat, quia pro omnibus erat in mortem offerendum: ut autem extinctum maneret, neg. id fieri debuit, eo quod vita ſacrarium eſſet. Vnde reuincit per ſuam, quæ in ipſo erat, vitam. Similiare petit inferius, ubi inter alia inquit. *Quomodo Dominus ex toto vitam ſeſe demonſtraſſet, niſi id, quod mortale erat viuificaret? Et ſer. 2. contra Arianos, in hunc modum exponit illud ad Philip. 2. Propter quod & Deus exaltauit illum. Refert enim particulam illam propter quod ad præcedentia verba. Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratuſ eſt, &c. Nam cum dixiſſet (inquit) humiliavit ſemetiipſum vſque ad mortem, ſtatim ſubintulit, Propter quod & Deus exaltauit illum; cupiens oſtendere, quod & ſi ſicut homo mortuus fuerit; attamen ut vita exaltauit ſe reſurrectione; & infra, *Cur hic ſolus ex mortuis integer reſurrexerit, cauſa ea eſt, quam vultus priori loco ſtatuit: quod cum Deus eſſet, homo factus ſit, qui de celo, & celeſtis appellatur, eo quod Verbi de celo deſcenderit; ideoque, ſub imperio mortis deſcendi non poſuit. Nā et ſi humiliavit ſeipſum finis ſuum corpus vſq; ad mortem procedere: nihil***

Fr. Suarez, tom. 2.

A minus tamen illud è terris exaltauit, propterea quod in illo erat ſilius Dei.

Secundo hoc explicatur, quia ratione hypoſtaticæ vniōis, & ex gloria animæ, debita erat corpori Chriſti vita perpetua, ac glorioſa: quod autem aliquando fuerit mortale, factum eſt ex diſpenſatione propter noſtram ſalutem: ergo conſummata noſtra ſalute per Chriſti mortem, eiſdem rationibus debetur illi corpori vita glorioſa per ſe, ac propter ſe, etiam ſi nobis non eſſet utilis, ac neceſſaria eius reſurrectio. Vnde merito dixit Atha. diſto libr. de Incarn. Verbi, reſurrexiſſe Chriſtum, ut oſtenderet non ex imbecillitate mortuum eſſe: ſed ad extinguendā mortem, quæ proſtigata, quid reliquum erat, niſi vi in trophæum deuictæ mortis excitaretur? Quocirca ſi hæc intrinſeca cauſa reſurrectionis Chriſti perpendatur, excitatus fuiſſet Chriſtus ſtatim, ac redemptionem noſtrā per mortē conſummavit. Et ideo (ut infra videbimus) docēt Patres dilationē reſurrectionis omnino fuiſſe propter nos, ut de veritate mortis euidentius conſtaret hac vero cauſa & neceſſitate finita ſtatim (ut ita dicā) ab intrinſeco rediſſe ad vitam multo magis, quam reducatur aqua ad priſtinam frigiditatem impedimento ablato. Quomodo dixit Atha. epiſt. ad Epiſt. Corpus mortalis natura per Verbum, quod in ipſo erat ſupra naturam reſurrexit. Sicut ergo aqua ablatis impedimentis natura ſua ſit frigida, primo quidem propter ipſam quia hæc eſt naturalis diſpoſitio, quæ eius forma requirit: deinde ut res alias frigeſcere poſſit. ita Chriſti corpus ablata mortis neceſſitate, quaſi ab intrinſeco ad vitam reuocatum eſt, & gloriam ſibi conaturalem accipit. Primo quidem propter ſe, quia hic ſtatus erat illi debitus ratione vniōis, & ſecundum ordinem diuinæ prædeſtinationis per ſe primo intentus: deinde verò propter noſtram utilitatem, ut ſupra explicatum eſt. Vnde etiam egregie addit Petrus Chryſol. ſer. 78 & 81. reſurrexiſſe Chriſtum propter creaturarum omnium, ſeu totius vniuerſi exaltationē ad nouā pacem, & tranquillitatē. Orbem (inquit) totum priſtinum reformat in corpus, ut quem ſibi taliter viderat eſſe compaſſum, ſuam ſecum ſuſcitaret ad gloriam. Atque hæc de finali cauſa.

Secundo de cauſa meritoria certum eſt Chriſtum dominum fuiſſe cauſam meritoria ſuæ reſurrectionis, ut docet D. Thom. ar. 4. ad 2. & latius diximus in priori tom. diſ. 40. Sect. 3. Hic verò inquiri poterat, quando hoc meruerit. Quidam enim auſi ſunt dicere: Chriſtum hoc meruiſſe poſt mortem per deſcenſum animæ ad inferos. Nā qui deſcendit ipſe eſt, & qui aſcendit, & deſcēſu exaltationem meruit. Neque enim illud opus fuit minoris charitatis, & humilitatis, quā cætera, quæ in vita geſit. Sed hæc ſententia conſecta eſt ſine fundamento. Oſtendimus enim in priori to. diſ. 30. Sect. 3. tempus merendi in Chriſto domino, ſicut & in alijs omnibus hominibus, fuiſſe finitū in morte. Tum etiam quia ſcriptura morti, & paſſioni Chriſti tribuit meritum reſurrectionis. Quia licet per totam vitam illa meruerit: tamen in morte hoc meritū conſummavit. Vnde Paul. ad Phil. 2. cum dixiſſet, *Factus obediens vſq; ad mortem*, ſubdidit, *Propter quod, &c.* non ergo poſt mortem, ſed vſque ad mortem hoc meruit. Quapropter Aug. tract. 204. in Ioan. Humilitas paſſionis, meritum (inquit) eſt reſurrectionis. Oportebat quippe, ut ipſum corpus eſſet organum, ac inſtrumentum meriti ſuæ reſurrectionis, & exaltationis. Alia de hac re adduximus prædicto loco, & ſupra in commen. ar. 1. Quædam vero difficultas hic occurrebat de vniōne hypoſtatica totius humanitatis, quæ diſſoluta humanitate, in morte fuit amiſſa, & conſequenter in reſurrectione reparata, propter quod videtur dixiſſe Petrus Chryſolog. ſer. 80. *Reſurgens à mortuis Chriſtus reſumpſit hominem, non reliquit*, de hac, inquam, vniōne occurrebat difficultas, an habuerit etiam cauſam meritoriam. Sed eam ſufficienter attigimus priori to. diſ. 10. Sect. 4.

Sf 2

Terz

Reſurrectio Chriſti ratione vniōis hypoſtaticæ quomodo debita. Athanaſ.

Athanaſ.

Petr. Chryſ.

Chriſtus reſurrectionem ſuam quando meruit. Ephes. 4.

Philip. 2.

Auguſt.

Finis reſurrectionis Chriſti qui.

Rom. 4. Gregor. Nazianzen.

A. A. 2. Pſalm 131. Reſurrectio Chriſti gloria & exaltationem ordinata.

Ambro.

Philip. 2.